

vit, potens est ad stipendium reddendam. *Quis pascat gregem?* inquit Paulus 1. Cor. 9. *Et de fructu ejus non comedat?* Principes omnes, quamvis seculares sunt, pastores sunt, & pastoris nomine a Deo per Ezechielem Prophetam dicitur, (*Ezech. 34.*) ut ibidem Hieronymus exponit, Pascunt gregem, hoc est, populum sibi commissum justitia & pace & tranquillitate, ut illi a grege lac, hoc est, tributum aliquid sumant, quo se & illos, per quos justitiam populo ministrant, alere possint. Laborat etiam Princeps pro defensione populi sibi commissi, ne ab aliquo tyranno opprimatur, aut quovis modo laedatur. Ut autem hunc laborem recte exequatur, saepe sunt milites necessarii, quibus possit tyrannidem & violentiam a populo propellere. Pro talium militum stipendio aliqua oportet tributa reddere, quoniam sine stipendio, milites labores & pericula belli suscipere nollent. In cujus sententiae confirmationem, Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 74. ait: Ad hoc enim tributa praestantur, ut propter bella necessario militi stipendium praebatur. Haec Augustinus. Nec satis est, ut pro hac re tantum tributum reddatur, quantum sufficit ad solvendum stipendium militibus pro bello necessariis, sed opus est, ut ipsi Principi, pro labore quem belli causa sustinet, aliquod stipendium addatur. Nam etsi Princeps ipse belli pericula in sua persona non subeat, nihilominus militare dicitur, quoniam totum belli pondus in illo consistit: & omnes vires belli procedunt ab illo. Nam ille est qui milites ad bellum necessarios quaerit: ille eligit duces, qui bello praesint, & milites regant: ille machinas, munitiones, & omnem bellicum apparatus praeparat. Justum autem est, ut propter hanc tam gravem & tam necessariam laborem, aliquid tributum Principi reddatur. *Nemo enim* (ut Paulus ait 1. Cor. 9.) *suis stipendiis unquam militavit.* Hos omnes, & alios similes labores quos Principes pro utilitate populi subeunt, Paulus considerans in ea quae est ad Romanos epistola, cap. 13. postquam praecipit, ut omnes Principibus subdamur, & illos timeamus, propterea quod eorum quilibet Dei minister est, vindex in ira ei, qui malum operatur, statim subdit: Ideo enim & tributa praestatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Quae Pauli verba Theophylactus interpretans, ait: Ipse istiusmodi Principum in te beneficia testificaris & probas, cum eis tributum & mercedem dependis. Quod sane perspicuum est, eo te illud persolvere, quia & tui curam illi susceperint. Neque enim Praesidibus ipsis hoc census a principio detulissetis, nisi nobis fuissent pernecessarii, quippe cum ipsi curis vacui, hos habeamus, qui pro nobis invigilent. Fit itaque vel Dei id voluntate, ut tributa suis ministris pendantur. Vult enim Deus, ut pax ipsa, & virtus exerceantur, & propulsetur iniquitas, ad idque, Deo volente, sunt Principes, & illi parent, cum ministerio isto funguntur, & pro communi hominum statu labores insumunt, in eoque & persistant, & coonituntur, ut vitam ipsi per quietem ducamus. Haec enim Theophylactus. Deinde, Paulus inter varia debita enumerat tributa, dicens: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* In quibus verbis apertissime docet Paulus tributa esse aliquando debita. Hoc autem non de omnibus tributis, sed de illis solum quae iuste imposita sunt intelligendum est. Nam quae iniuste imposita sunt, nulla ratio patitur, ut ad illa reddenda populus obligetur. Quae autem sunt iuste imposita tributa, & quae iniuste, licet ad praesentem disputa-

tionem non spectet diffinire, breviter tamen rem ipsam obiter perstringere decrevi. Pro cuius rei clariori definitione oportet primo inter ipsa tributa distinguere, an sint antiqua, an nova. Si tributa ipsa quovis nomine illa censentur, tam antiqua sunt, ut de illorum initio nulla proferri possit haberi memoria, tunc semper pro his qui illa exigunt, praesumendum est, quod iuste exigunt. Quia (ut regula juris ait) quilibet praesumitur bonus, donec probeur contrarium. Dum igitur non constat de initio horum tributorum initio, praesumendum est illud fuisse justum, & per consequens nunc iuste à dominis exigi. Et in talibus verum est quod dicitur, meliorem esse conditionem possidentis: ita ut merito credendum sit, justius agere Dominum, quum tale tributum exigit, quam subditum, cum illud Domino negare conatur. Haec sententia aperte probatur per cap. Super quibusdam, de Verborum significatione, ubi enumerans tributa quae iuste exigi possunt, inter ea recenset illa quae ex antiqua consuetudine a tempore cuius non extat memoria, introducta sunt. Si vero talia tributa nova sunt, ita ut nunc primo procreantur institui, aut si jam imposita sunt, de illorum initio aperta habeatur notitia: tria in talibus tributis considerata sunt, ut per illa talium tributorum iustitia manifeste possit agnosci. Primum est auctoritas ad talia imponendum tributa. Hanc vero auctoritatem (ut in praedicto cap. Super quibus decernitur) non habent nisi Imperator, aut Rex, aut Papa, aut Concilium. Aliqui ex illo cap. Super quibus colligunt etiam antiquam consuetudinem, cuius non cognoscitur memoria, habere auctoritatem ad imponendum tributa: qui sic colligunt, male revera intelligunt textum. Quoniam antiqua consuetudo (ut ex littera textus constat) ad tuendum vetera tributa valet, non ad imponendum nova. Aliud siquidem est exigere tributum, & aliud est imponere tributum. Et inde sequitur, ut distincte etiam sint auctoritates ad haec diversa exequenda. Una est auctoritas ad exigendum tributa. Altera est auctoritas ad imponendum illa. Haec auctoritas multo major est quam prima, quia qui habet secundam, habet etiam primam; non tamen è contrario. Nam is, cui Rex, aut Imperator concessit aliquod tributum sibi debitum, habet auctoritatem exigendi tributum, non tamen habet auctoritatem imponendi. Antiqua ergo consuetudo à tempore, cuius non extat memoria, dat auctoritatem ad exigendum tributa quae ab illo tempore antiquo sunt introducta: & non dat auctoritatem ad imponendum nova. Nam cap. Super quibusdam, in §. Praeterea, loquitur (ut constat ex littera) de tributis quae ex antiqua consuetudine introducta sunt, & non loquitur de auctoritate imponendi nova tributa. Et confirmatur haec sententia per cap. Innovamus, de Censibus, ubi talis auctoritas imponendi nova tributa, aperte negatur antiquae consuetudini, quia expresse ibi dicitur, illam solis Regibus, & Principibus esse concessam.

Alterum, quod exigitur ad tributorum iustitiam, est causa: quae ex sola populi necessitate, aut utilitate, & non ex Principis utilitate sumenda est. Alioquin, si Princeps propter solum suum commodum tributa imponat, non iusta, sed tyrannica dicitur. Quoniam Rex propter populi utilitatem, & non populus propter Regis commodum datus est. Nam propter hanc causam Principes populi Israel, Dominus per Ezechielem Prophetam, cap. 34. reprehendit, dicens: *Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascentur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod crasium erat oc-*

cidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quae verba (ut beatus Hieronymus ea interpretatur) non ad solos Praelatos Ecclesiasticos, sed etiam ad Principes seculares dicta sunt, quia hietiam sicut illi pastores dicitur, & utriusque, quamvis non eodem passu, gregem sibi commissum pascere tenentur. Tertium, quod ad tributorum iustitiam exigitur, est, ut tributa ipsa iuxta debitam proportionem imponantur. Haec autem proportio in multis considerata est. Primo inter ipsum tributum & causam, propter quam imponitur, ita ut non majora tributa exigantur quam causa ipsa propter quam imponuntur, possulet. Nam si majora exigantur, injusta erit talis exactio propter excessum, qui sine ulla causa exigitur, & erit talis excessus obligatus restitutioni, ut habetur in cap. Quia plerique de Immunitate. Oportet etiam habere proportionem & commensurationem inter tributum & populum cui imponitur tributum; ita ut tributum ipsum populi facultatem non excedat: alioquin tyrannicum & injustum erit tributum. Quoniam quod pro populi utilitate instituitur, non debet contra illius utilitatem militare. Tributum autem est Regi datur, non tamen propter Regis, sed propter populi utilitatem datur: & inde sequitur, ut non debeat tantum tributum imponi, ut per illud populus penitus destruat, aut in nimiam deveniat paupertatem. Nam qui hoc faciunt, non solum de lacte gregis comedunt, sed ipsum gregem excoriant. Propter quod Dominus per Prophetam Michaeam, cap. 3. huiusmodi Principes qui talia tributa imponunt, reprehendit, dicens: *Audite Principes Jacob, & duces domus Israel. Et post pauca: Qui violenter tollitis pelles eorum de super eis, & carnem eorum de super ossibus eorum. Qui considerant carnem populi mei, & pellem eorum de super excoriant eorum.* Postquam tributum toti populo impositum est, oportet in illius distributione servare proportionem geometricam, ita ut considerata prius cuiusque hominis facultate, tanto majus, aut minus cuique imponatur tributum, quanto ille magis, aut minus dives fuerit. Ecce omnia quae mea sententia sunt necessaria, & sufficiunt ad hoc, ut tributum aliquid sit justum. Si aliquod horum desideret, ut puta auctoritas, aut causa, aut debita proportio, tributum erit injustum, & subditus non tenebitur in conscientia ad illud reddendum, nisi forte propter scandalum vitandum. Nam propter illud vitandum saepe tenetur reddere, quae alias reddere non teneretur. In hoc enim casu credo praecipuum esse quod Salvator noster ait: *Ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo.* Sed hic notandum est, quod si tributum est injustum propter solum defectum proportionis, ut puta quia excedit causae necessitatem, aut populi facultatem, pro sola ea parte, quae est excessus, non obligabitur subditus ad reddendum, sed aliam partem, in qua est iusta proportio & debita commensuratio, tenebitur in conscientia subditus reddere. Si vero haec omnia quae ad justum tributum diximus esse necessaria & sufficientia, simul in aliquo tributo cohaereant, tunc illud erit justum, & subditus, qui ab illo liberi non sunt, tenebitur in conscientia illud reddere: neque ab hac obligatione liberabuntur per hoc quod se exponunt periculo poenae quae est contra tales per legem imposita. Nam (ut probavimus in ultima huius capituli particulari conclusione) lex poenalis humana non potest tollere obligationem legis divinae. Lex autem divina (ut proxime probavimus) praecipit tributa Principibus reddi: ergo lex poenalis humana non potest tollere huiusmodi obligationem. Et inde sequi-

tur, ut si quis tributum aliquod justum, quovis nomine illud censetur, reddere omittat, & postea de hoc accusatus & convictus poenam legis patiatur, teneatur nihilominus adhuc in conscientia ad huiusmodi tributum reddendum: quemadmodum is qui poenam furti tolerat, tenetur ad rem furtivam restituendam, Quia (ut in priori corollario diximus) nulla poenae poenae per legem humanam impositae potest hominem liberare ab ea obligatione, quam ex lege divina habebat, ante passionem talis poenae. Forte contra haec omnia quis argumentabitur, volens probare tributa non esse ex lege divina Principibus debita, quia si illa ex lege divina deberentur, sequeretur necessarium oportere illa esse aequalia, & eadem apud omnes nationes ubique gentium. Quia lex divina, praesertim moralis, aequae omnes obligat, & eandem vim apud omnes habet. Non sunt autem eadem, nec aequalia apud omnes nationes tributa, quia alia redduntur in Hispania, alia in Gallia, alia in Anglia. Ex qua tributorum diversitate videtur aperte convinci talem legem de tributis necessario reddendis non esse divinam. Fateor tributa esse varia juxta varietatem Regnorum & Provinciarum: non tamen sequitur inde tributa non deberi Principibus ex lege divina. Nam etsi lex divina non obliget ad aliquod speciale & determinatum tributum, obligat tamen ad aliquod tributum reddendum. Quantum autem & quale tributum sit reddendum, quia propter varias populi facultates, & occurrentes illius necessitates, non poterat unica & generali lege diffiniri, ideo ipsius tributi determinatio & specificatio committitur dispositioni legis humanae. Multa enim sunt quae solum in genere sine ulla specificatione praecipuntur in lege divina, & illorum specificatio & determinatio ad aliquod particulare ex sola lege habetur humana. Diligere Deum tenetur ex lege divina & naturali: ipsa tamen lex divina non exprimitur quando, aut quo loco Deum diligere debemus, sed haec specificatio (ut aliquibus placet) lege humana facta est per praecipuum de auditione Missae in die Dominico. Tunc enim, juxta istorum opinionem, tenetur homo in ipsa Missae auditione diligere Deum expresse, aut interpretative, ut puta faciendum aliquid propter Deum. Ex jure divino & naturali tenetur homo aliquem diem in hebdomada ad Dei cultum deputare. Quis autem sit iste dies, ex lege divina, quae nunc viget, non exprimitur, sed hoc sola lege humana est declaratum. Nam etsi olim lege Moysaica fuit septima dies ad cultum Dei praecipua, illud tamen praecipuum, quia non morale, sed caeremoniale erat, fuit inter alia per mortem Christi revocatum, & ideo in lege Evangelica non obligat. Ob quam causam Ecclesia divino Spiritu afflata, loco illius septimae diei, octavam, quae dies Dominica dicitur, statuit in honorem Dominicae Resurrectionis. Ex jure etiam divino & naturali est, ut his qui altario serviunt, aliquid tamquam stipendium sui laboris pro illorum alimentis offeratur. Quantum autem sit illis tribuendum, ut puta decima, aut octava, aut vigesima fructuum pars, ipsa lex divina quae hodie extat, non exprimit. Olim enim lex Moysaica decimam fructuum portionem dare iussit: (*Levit. 27.*) sed quia praecipuum illud, quatenus determinatam exprimit partem (ut omnes Theologi concorditer docent) quamvis Canonica, ad quos de hac re definire non ita spectat, contrarium sentiunt, inter caeremonialia praecipua numeratur. Et inde sequitur, ut per passionem Christi sit cum aliis revocatum. Ex quo ulterius sequitur, ut illa decimae portionis taxatio, non ex lege divina, aut naturali,

les leges æque nunc obligare ad culpam mortalem, sicut prius obligant. Quoniam cum consistet ex sacris litteris, multa matrimonia ante legem per Moysen datam, fuisse legitime contracta, in illis gradibus per legem Moysi prohibitis, evidenter convincitur, tales leges non esse de jure naturæ, & per consequens nec morales: ex quo ulterius sequitur, illas tempore legis Evangelicæ non obligare, quatenus per Moysen datæ sunt, nisi aliunde ex Ecclesiæ statuto obligentur. Et certe hac ratione moti fere omnes Theologi scholastici docent, non omnes illas leges obligare ad culpam mortalem, quæ Levitici 18. & 20. capitulis statuuntur de matrimonio in aliquibus gradibus non contrahendo. Ita enim docet Alexander de Ales tertia parte, quæst. 27. memb. 4. art. 3. §. 2. & eadem parte quæst. 35. memb. 6. Scotus in 4. dist. 40. & 42. eandem docet sententiam. Joannes Bassolis etiam in 4. dist. 40. eadem sententiæ subscribit Thomas de Argentina, dist. 39. Quarti eandem tutatur opinionem. Idem sentit Guillelmus de Rubione in 4. dist. 40. His omnibus consentit Cajetanus super 2. 2. Sancti Thomæ quæst. 154. art. 9. Istorum omnium sententiam extensis (quod ajunt) ulnis amplectitur Vvredelinus in supplemento Gabrielis. Multi alii, quos longum ac valde prolixum esset recensere, hanc tuerentur sententiam. Alii, quamvis paucissimi, inter quos est Petrus de Palude, oppositam tenent sententiam, dicentes, omnes illas leges, per quas certus gradus consanguinitatis & affinitatis prohibentur ad matrimonium contrahendum, obligare nunc ad culpam mortalem, sicut olim tempore legis Moysæ obligabant. De quorum sententia ego sæpe miratus sum, & nunc etiam multo magis admiror. Quia poena illis legitis apposta, ex qua illarum obligatio consistere poterat, jam revocata est: nec est alia certa via (ut diximus) per quam talis obligatio possit ostendi. Propter quod merito istorum opinio per sententiam Papæ definitivam in parte damnata est, occasione litis motæ per Henricum octavum, hujus nominis Angliæ Regem, qui tentavit dissolvere, & irritum facere matrimonium, quod à multis retroactis annis contraxerat cum Catherina filia Ferdinandi & Elyzabeth, Catholicorum Hispaniæ Regum. Causa autem, quæ, ut id legitime facere posset, offerebat, erat: quia ipsa Catherina prius nupsit Arcturo, ejusdem Henrici fratri majori, quo sine liberis defuncto, postea ex Papæ dispensatione nupsit ipsi Henrico. Ob quam causam dicebat matrimonium illud, quod cum præfata Catherina contraxerat, fuisse nullum, quamvis ad illud contrahendum accesserat Papæ dispensatio. Quia dicebat, tale matrimonium esse lege divina prohibitum, offerebatque ad hanc sententiæ probationem duas ex Levitico leges, quarum una sic ait: (*Levit. 18.*) *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudinem fratris tui est.* Alterius legis verba sunt hæc: (*Levit. 20.*) *Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit, absque liberis erunt.* Causa hæc ad Clementem septimum hujus nominis summum Pontificem, qui tunc universæ præerat Ecclesiæ, devoluta est. Pontifex vero, quia res illa ob multas & manifestas causas res magni momenti censebatur, noluit in ea celeriter & proprio consilio quidquam definire: sed viros doctissimos Theologos & Canonistas, & omnes fere studiorum Universitates, quæ celebre aliquod nomen habent, consuluit. Multi etiam viri docti suam sententiam libellis de hac solâ re editis, expresserunt. Inter quos unus, & (ut ego opinor) omnium doctissimus fuit Joannes Fischerus, tunc Rossensis Episcopus, nunc autem verus Christi martyr, qui in Regiæ favore pro matrimo-

nii confirmatione opus quoddam multa doctrina refertum edidit. Ob quam causam idem Henricus in sancti Episcopi invidiam exarsit, & postea illum pro constante fidei catholice confessione capitis obruntatione punivit. De qua re ego tunc juvenis, cum res illa tractabatur, & in controversiam deducebatur, libellum scripsi, ut sententiam meam, quæ à me, sicut ab aliis plerisque viris doctis petebatur, libello edito proderem. Post diligentissimam itaque & longissimam hujus matrimonialis causæ examinationem, maturoque (ut in re tanta facere oportebat) prius habito consilio, tandem ipse summus Pontifex pro tribunali residens in publico consistorio, de consilio & assensu omnium Cardinalium sententiam protulit definitivam prædictum matrimonium approbantem, & ratum ac firmum judicantem. Sed quia illa summi Pontificis sententia paucis nota est, & forte in posterum propter scriptorum negligentiam multo paucioribus erit nota, eam, nullo illius maturo verbo, hic inserere decrevi, ut omnibus nota esse possit.

CLEMENS PAPA SEPTIMUS.

Christi nomine invocato, in throno justitiæ pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, consistorialiter coram nobis congregatorum, consilio & assensu ferimus in his scriptis, pronuntiamus, decernimus, & declaramus, in causa & causis ad Nos & Sedem Apostolicam per appellationem, per charissimam in Christo filiam Catherinam Angliæ Reginam illustrem, à nostris & Sedis Apostolicæ legatis in Regno Angliæ deputatis, interpositam legitime devolutis & advocatis, inter prædictam Catherinam Reginam, & charissimum in Christo filium Henricum Octavum Angliæ Regem illustrem, super validitate & invaliditate matrimonii inter eosdem Reges contracti & consummati, rebusque aliis in actis causæ & causarum hujusmodi latius deductis, & dilecto filio Paulo Capisfuo caufarum sacri Palatii tunc Decano, & propter ipsius Pauli absentiam venerabili fratri nostro Jacobo Simonetæ Episcopo Pisauriensi unius ex dicti Palatii auditoribus locum tenenti, audiendis, instruendis & in consistorio nostro referendis commissis, & per eos nobis & eidem Cardinalibus relatis, & mature discussis coram nobis pendentibus, matrimonium inter prædictos Catherinam & Henricum Angliæ Reges contractum, & inde sequuta quæcumque fuisse & esse validum & canonicum, validaque & canonica, suorumque debitos debuisse, & debere sortiri effectus, prolemque exinde susceptam & suscipiendam fuisse & fore legitimam: & præfatum Henricum Angliæ Regem teneri, & obligatum fuisse, & fore ad cohabitandum cum dicta Catherina Regina ejus legitima conjuge, illamque maritali affectione & regio honore tractandam: & eundem Henricum Angliæ Regem ad præmissa omnia, & singula cum effectu adimplendum, condemnandum, omnibusque juris remediis cogendum, & compellendum fore, prout condemnatus, cogimus, & compellimus, molestationisque, & denegationis per eundem Henricum Regem eidem Catherinæ Reginæ super invaliditate, ac fœdere dicti matrimonii quomodolibet factas fuisse, & esse illicitas & injustas, & eidem Henrico Regi super illas ac invaliditate matrimonii hujusmodi perpetuum silentium imponendum fore, & imponimus: eundemque Henricum Angliæ Regem in expensis in hujus-

modi

modi causæ pro parte dictæ Catherinæ Reginæ coram nobis & dictis omnibus legitime factis condemnandum fore, & condemnatum. Quorum expensarum taxationem, nobis in posterum reservamus. Ita pronuntiamus.

Lata fuit Roma in Palatio Apostolico, publice in consistorio, die xliij. Martii. Anno M. D. XXXIII.

BLOSIUS.

Ex hac sententia per summum Pontificem cum tanto & tam maturo consilio data, aperte convincitur, falsam esse & erroneam Petri de Palude opinionem, dicentis matrimonium alicujus cum relicta à fratre, quamvis sine liberis defuncto, esse lege divina prohibitum, ac proinde Papam non posse in illo dispensare.

Alia est in Levitico similis conditionis lex, de qua etiam non modica est inter Theologos dissensio, an eandem nunc habeat obligationem ad culpam, quam olim habuit, quando lex Moysæ vivebat. Quæ discordia (ut ego censeo) non aliunde vires accipit, quam ex poena, quæ per talem legem imposita fuit. Est autem hæc lex: (*Levit. 18. & 20.*) *Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis secretum ejus. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficiuntur ambo de medio populi sui.* De hac lege quidam sentiunt, illam nunc non obligare ad culpam mortalem, sicut obligabat olim ante Christi passionem. Hanc opinionem tueretur Petrus Paludanus in 4. distinct. 32. q. 1. art. 3. Eandem tenet Cajetanus in sua summa Confessorum, in titulo, Matrimonium, ubi enumerans peccata, quæ in usu matrimonii committi possunt, dicit non esse peccatum mortale, mulierem menstruam exigere aut reddere debitum; quia nulli (ut ait) facit injuriam, quia jure suo utitur. Quæ opinio mihi vera videtur; propterea quod obligatio illius legis ad culpam mortalem, non aliunde consistere potest, quam ex poena mortis illic apposta, quæ non nisi pro gravi culpa mortali potest inferri. Hæc autem poena (ut omnibus notissimum est) nullam jam habet vigorem, cum sit per Christi mortem revocata, quemadmodum omnia alia præcepta judicialia. Quum olim lex illa poenalis vivebat, vivebat etiam illius obligatio ad culpam mortalem. Nunc vero poena illa prorsus abrogata, inde aperte cognoscitur, obligationem illam ad culpam mortalem esse omnino sublata, nisi aliud forte in ipsa lege maneat, per quod possit aperte cognosci, tantam esse in illa lege obligationem. Nihil autem, seclusa poena, manet in illa lege, per quod manifeste deprehendi possit illa tam magna obligatio: ergo non est dicendum, illam legem obligare ad culpam mortalem. Sunt alii Theologorum proceres, doctrina & sanctitate præclari, qui oppositam tenent sententiam, dicentes legem illam nunc etiam obligare ad culpam mortalem, sicut in lege veteri. Hanc opinionem tenent Sanctus Thomas, & Sanctus Bonaventura, & Alexander de Ales, & Doctor subtilis Scotus. Inter quos beatus Thomas duplicem dicit esse in illa lege rationem: unam propter quam dicit esse caremonialem aut judicialem, & est mulieris immunditia, ratione cujus fiebat purificatio, & quantum ad hoc dicit, legem illam jam non obligare, sed esse prorsus revocatam. Alteram dicit esse illius legis rationem, nocumentum videlicet prolis, quæ si ex illo coitu nasceretur, esset debilis, aut infirma, aut leprosa. Et quia hæc ratio nunc etiam in tempore Evangelii extraxit, sicut

ante in tempore legis Moysæ: ideo juxta istam rationem dicit, legem illam esse mortalem, & nunc etiam obligare ad culpam mortalem sicut olim. Solet fieri argumentum hoc contra hanc opinionem. Minus est periculum in menstrua de infectione prolis, quam in leprosa: sed leprosa mulier non prohibetur exigere, aut reddere: ergo nec menstrua. Consequentia est nota per locum à majori ad minus. Prima antecedentis pars probatur ex communi medicorum sententia, & ex probatissima experientia. Secunda pars antecedentis probatur per cap. 1. & 2. de conjugio leproforum. Sed huic argumento respondet Scotus, negando consequentiam: quia licet certius imminet periculum prolis de infectione prolis ex coitu cum leprosa, quam cum menstrua; non tamen inde sequitur, quod sit majus nocumentum prolis: immo dicit esse multo minus in leprosa quam in menstrua. Quia magis (ut ille ait) est contra bonum prolis, quod nunquam procreetur de illa matre, si illa semper esset propter lepram vitanda, quam quod nascatur leprosa. In menstrua autem hoc non evenit, quia etsi proles in diebus menstrui non concipiatur, poterit tamen in aliis diebus post purificationem concipi sana. Et ideo justum est, menstruatam paucis aliquot diebus abstinere, ut postea prolem sine damno illius concipere possit. Leprosam autem non sic justum est abstinere, quia melius est proli nascituræ leprosam esse, quam nunquam esse. Et eodem modo respondent Thomistæ, qui beati Thomæ opinionem contra Petrum de Palude tuerentur. Et propter eandem rationem dicunt, etiam licitum esse coire cum ea, quæ perpetuum sanguinis fluxum ex ægritudine tolerat. Quia hæc concipere non potest; & si conceperit, melius erit proli ut infirma moriatur, quam ut nunquam oriatur, si mulier perpetuo abstinere. Sed certe hæc responsio non plene mihi satisfacit, propter multa quæ mihi contra istorum opinionem occurrunt. Primum est, quia nocumentum prolis, quod dicitur futurum ex illo coitu, est nimium incertum. Non est enim certum, quod mulier tempore illo concipiat, sicut etiam non est certum mulierem non menstruatam ex coitu concepturam; immo magis credendum est, mulierem tempore menstruatorum non concepturam, quia ille mensurus sanguinis fluxum multum impedit ad retinendum semen hominis in matrice, ubi conceptio fieri debet. Nec etiam si illa conciperet, est certum, prolem futuram esse monstruosam: quoniam alias multa plura monstra quotidie nasci videremus, quam nunc videmus. Quia cum numerosa (ut creditur) sit hominum multitudo, qui cum menstruatis mulieribus quotidie coeunt, multa etiam monstra quotidie nascerentur. Et inde aperte conjicimus non esse certum & inevitabile, prolem futuram esse monstruosam, quæ à muliere menstrua concipitur. Si certum esset, aut proximum certitudini, mulierem menstruatam concepturam, & prolem futuram monstruosam, tunc forte mulier teneretur non exigere, neque reddere debitum viro petenti. Nam in hoc solo casu ego puto intelligendam Augustinum, qui questione sexagesima quarta super Leviticum, dicit: per talem legem in Levitico positam, non naturam damnari, sed concipiendæ prolis prohibitionem. In quibus verbis id videtur Augustinus sentire, quod accedere ad menstruatam non est se, & ex natura sua peccatum, sed solum ratione nocumenti quod inde sequitur proli. Ergo ubi non est certum nec verisimile, tale nocumentum futurum, tunc poterit mulier menstrua exigere, & reddere. Sunt etiam illa verba Augustini (ut ego censeo) hac conditione intelligenda, si is qui exigit, aut reddit debitum, hac intentione id agat, ut proli nocet.

Nam

sed ex sola lege humana vim habeat obligantem. Juxta istum modum ego de rebus reddendis dicendum esse censo, tributum aliquod Regibus & Principibus reddi, lex divina & naturalis præcipit. Quale autem, & quantum tributum sit illis reddendum, legi humanæ committitur, quæ juxta Regnorum varietatem, varia etiam necessario erit statuenda. Multa alia de rebus, præsertim particularibus, dubia mihi occurrunt, quæ sunt digna investigatione, sed quia à prima hujus disputationis intentione sunt valde aliena, ideo illa hic prætere re statui.

Hoc solum jam mihi tractandum superesse video, legem videlicet pure poenalem humanam cum lege morali etiam humana conferre, quo peracto, consummata erit disputatione de potestate legis pure poenalis, quatenus respicit obligationem ad culpam. De hac re nihil aliud dicendum esse censo, quam id, quod docet prima, & principalis conclusio in principio hujus capituli posita, quæ ait, legem pure poenalem nunquam tollere obligationem ad culpam, quæ per aliam legem moralem prius imposita fuerat, nisi ipse legislator plenam ad hoc potestatem habens per legem suam poenalem declaret se tollere prioris obligationem ad culpam. Hujus conclusionis primam partem non est opus amplius probare, cum ex his quæ supra diximus, sit jam satis superque probata, præsertim ex eo quod probavimus, has duas obligationes, videlicet ad culpam & ad poenam, non esse contrarias, nec secum invicem ex adverso pugnare. Nam inde apertissime convincitur, ad unius positionem non sequi necessario destructionem alterius, cum ex prædictis constet illas duas obligationes, ad culpam videlicet & ad poenam, circa eandem rem posse simul consistere. Præterea lex pure poenalis divina (ut supra probatum est) non tollit obligationem ad culpam, quæ per legem moralem divinam ante fuerat imposita: ergo eadem ratione lex pure poenalis humana non tollit obligationem ad culpam, quam prius imposuerat lex moralis humana. Consequentia ista inde apertissime convincitur esse manifesta, quia lex pure poenalis humana non habet majorem contrarietatem, aut pugnam cum lege morali humana obligante ad culpam, quam lex pure poenalis divina, cum lege morali divina. Secundam conclusionis partem hoc argumento convinco esse veram. Legislator plenam potestatem habens, potest prioris legis moralis pure humanæ obligationem tollere aut prorsus abrogare sine alicujus legis poenalis institutione: ergo etiam poterit ejusdem legis moralis obligationem per alicujus legis pure poenalis institutionem tollere. Consequentia ista, vel ex eo est notissima, quod per legis pure poenalis institutionem nullo modo minuitur legis moralis potestas, quam ante habebat ad legis moralis obligationem tollendam. Antecedens est etiam æque manifestum. Quia (ut dicitur in cap. Exiit qui feminat, de Verborum significatione, libro sexto) par in parem non habet imperium. Ex qua sententia aperte sequitur, ut quicquid unus legislator instituit, ipsemet aut alter successor illius parem cum illo potestatem habens, possit illud destituere, & prorsus abrogare. Autem legislator hac usus fuerit potestate, ut legem pure poenalem institueret, per illius verba aperta prioris legis moralis obligationem sustulerit, & prorsus revocaverit, mihi non constat. Nam in jure communi, canonico, vel civili, credo nullam talem legem reperiri, quæ verbis expressis & manifestis declaret se per novam legem poenalem revocare obligationem ad culpam quæ antea fuerat in ea re, propter cujus meliorem observationem ipsa lex nova talem poenam instituit.

CAPUT XII.

Quod lex poenalis mixta, aliquando obligat ad culpam, aliquando non, juxta variam ipsius legislatoris intentionem.

Duplicem jam supra diximus esse legem poenalem, alteram pure poenalem, quæ nihil prorsus aliud statuit, quam poenam infligi his qui aliquid fecerunt, aut facere neglexerunt: altera vero poenalem mixtam, quæ postquam de moribus aliquid statuit, postea etiam poenam decernit contra eos qui legem ipsam fuerunt transgressi. Hactenus de lege pure poenali differuimus, superest, ut de lege poenali mixta aliquid dicamus. De qua quid jure sentiendum sit, licet ex his quæ in tribus proximè præcedentibus capitulis dicta sunt, facile vir doctus colligere possit: quia tamen non solis doctis, sed etiam indoctis scribimus, oportuit aliqua particulariter & in specie de lege poenali mixta pertractare, ut de omni lege poenali facile omnibus constet, qualem illa ad obligandum habeat potestatem. Ad hoc autem recte perficiendum, una mihi sufficere videtur conclusio quæ talis est. Obligatio legis poenalis mixtæ quæ induceretur per solam illam ejus partem, quæ de moribus aliquid statuit, non tollitur per additionem alterius partis quæ poenam imponit, sed manet eadem legis ad culpam obligatio, quæ esset scilicet poena, aliquando major, aliquando minor, juxta variam legislatoris intentionem. Prima hujus conclusionis pars satis est manifesta ex his quæ in præcedenti proximo capite diximus de lege pure poenali. Nam si lex pure poenalis seorsum posita non tollit obligationem quæ fuerat inducta per legem moralem: ergo si jungatur lex poenalis simul cum lege morali, ita ut ex ambabus fiat unica lex, pars illa, quæ statuit poenam, non tollit obligationem, quæ induceretur per aliam partem moralem, si seorsum statueretur. Consequentia ista est notissima, quia lex poenalis simul posita cum lege morali, non sumit per hoc majorem potestatem ad tollendum obligationem legis moralis, quam si seorsum & per se statueretur distincta à lege morali. Nihil enim refert ad legis poenalis potestatem augendam, vel minuendam, quod simul cum lege morali, aut seorsum ab illa statuat. Ut autem quod dico, apertius & evidentius omnibus fiat, exemplum aliquod in medium proponere oportet. Sit aliqua lex pure moralis ita disponens: Nullus per civitatem, aut oppidum incedens, secum arma deferat, ne hac occasione jurgia & tumultus in civitate oriantur. Postea, quia experientia docente, cognitum est multos indisciplinatos tali legi non obedire, ad illius legis meliorem observationem statuitur alia lex pure poenalis, ita dicens: Quicumque per civitatem armatus incesserit, privetur armis, & recludatur in carcerem decem continuis diebus. Alius forte legislator, prævidens à principio futuros esse aliquos indisciplinatos, qui legibus non obtemperabant, legem moralem statuens, simul poenam adjecit, & ex duabus illis legibus unam condidit, sic dicens. Nullus per civitatem armatus incedat, ne hac occasione jurgia & seditiones oriantur. Si quis vero armatus per civitatem incesserit, privetur armis, & in carcerem recludatur. Manifestum est, & luce clarius, hanc ultimam legem, quæ mixta est ex illis duabus prioribus, non amplius valere, nec majorem, aut minorem potestatem habere, quam illæ duæ ex quibus componitur. Quia cum hæc lex sit quasi totum aliquod integrale ex illis duabus

bus legibus, tamquam ex partibus illius integralibus compositum, inde evidenter sequitur, ut juxta legem & conditionem ejuslibet totius integralis, sit per omnia æqualis omnibus suis partibus simul sumptis, ita ut in nullo excedat eas, nec excedatur ab illis. Et inde ulterius sequitur, ut si duæ illæ leges, quando sunt seorsum posite, habent obligationem ad culpam, respectu ejus quod per legem moralem statuitur, etiam habeat eandem obligationem lex illa, quæ ex illis duabus condita est. Præterea, si pars poenalis, quæ ponitur in tali lege mixta, tolleret obligationem ad culpam ab altera parte morali, hoc esset, quia poena & obligatio ad culpam pugnant inter se & invicem contrariantur: sed nulla talis contrarietas aut pugna est inter illa duo, ut satis aperte probatum est in duobus capitulis proximè præcedentibus: ergo pars poenalis in lege mixta non tollit obligationem, quæ per alteram partem moralem induceretur, si esset seorsum statuta. Omnia etiam argumenta, quæ in duobus capitulis præcedentibus fecimus ad probandum legem pure poenalem, non tollere obligationem legis moralis, possunt accommodari ad probandum idem de parte poenali, quæ additur in lege mixta.

Secunda pars nostræ principalis conclusionis probatur, quia si lex poenalis mixta aliquam potestatem imponere obligationem, illa non aliunde pendere potest, quam ex intentione & voluntate legislatoris, quæ vult obligare illos, quibus legem statuit. Sicut enim bonitas & malitia actus exterioris pendet à bonitate & à malitia actus interioris, à quo est imperatus: ita legis scriptæ aut voce prolata obligatio pendet ab actu interiori voluntatis volentis per legem suam obligare. Nam ob hanc causam (ut alias diximus) statuta fratrum Minorum, & fratrum Prædicatorum non obligant ad culpam aliquam: quia illorum statutorum conditores noluerunt ad culpam aliquam suos subditos obligare, prout ipsimet in principio suorum statutorum aperte expresseverunt. Ex his evidenter sequitur, ut juxta variam legislatoris intentionem, varia sit etiam diversarum legum obligatio, ita ut una magis altera minus obliget, quia sic voluit legislator. Hæc autem legislatoris intentio ex solis verbis legis est colligenda, nisi forte ille consuli possit, & suam verbis explicare voluntatem: quia tunc est ex verbis legis non possit conjici, quanta esset illius obligatio, illi tamen quibus legislator suam voce expressit intentionem, erant obligati juxta id, quod ille eis declaravit. Si vero legislator consuli non potest, ut suam voce aperiat voluntatem, tanta erit semper, & non major neque minor censenda obligatio, quanta ex verbis ipsius legis aperte conjici possit. Nam legislator nunquam sola sua voluntate potest aliquem obligare, nisi suam illi manifestando voluntatem. Alioquin fieri esset necesse, ut aliquis obligetur ad impossibile. Quia intentionem, quam legislator intus in corde latentem habet, nemo cognoscere valet, nisi ipse illam exterius per aliqua manifesta signa prodatur. Quæ autem sunt signa, ex quibus legis obligatio perfecte cognosci potest, jam supra ostendimus cap. 5. hujus libri. Inter multa autem, quæ illic dedimus signa ad cognoscendam legis obligationem, unum est illud, de quo nunc agimus, videlicet poena per legem imposita. Quia sæpe ex gravitate poenæ, quam ipsa lex contra illius transgressores imponit, cognoscitur magnam esse ejusdem legis obligationem. Lex igitur poenalis mixta, quia duas habet distinctas partes, alteram moralem, alteram poenalem: ideo per utramque illius partem potest offendere, quantum illa subditis imponat obligationem ad faciendum, vel omitendum id, quod per

partem moralem statuitur. Si pars illa moralis habeat aliud quod verbum præcepti, aut prohibitionis, aut aliquod illis æquipollens, tota lex mixta dicitur obligare ad culpam mortalem, ut fiat vel omitatur id, quod per talem partem moralem decernitur. Si vero nullum tale verbum præcepti, aut prohibitionis, aut æquipollentis in illa parte morali reperitur: tunc nisi aliunde, videlicet ex parte poenali, offendatur major obligatio, tota lex mixta censetur non imponere obligationem ad culpam mortalem. Quæ autem sint talia verba præcepti, aut prohibitionis, aut æquipollentis, quia supra in cap. 5. hujus libri satis aperte ostendimus, non est opus nunc repetere. Si illa pars legis mixtæ, quæ poenam contra transgressores statuit, poenam talem decernit, quæ non nisi pro culpa mortali jure potest infligi, qualis est excommunicatio, mors, exilium perpetuum, & alia similes, quas loco proxime citato recensuimus, ex illa poena adjuncta, etiam nullum aliud signum adesse, conjici potest, legislatorem velle obligare transgressorem partis moralis ad culpam mortalem. Si vero nullam tam gravem poenam lex mixta imponat, nec in parte morali ejusdem legis reperitur aliquod verbum præcepti, aut prohibitionis, aut æquipollentis: tunc absolute dici potest, talem legem mixtam non imponere obligationem culpæ mortalis, sed solum venialis, ad faciendum vel omitendum id, quod per legem moralem statuitur. Et certe hæc regula, quam de poena inspiciente nunc dedimus ad cognoscendam obligationem legis, est valde notanda: quoniam per illam de multis legibus, tam divinis quam humanis, cognoscimus, quanta sit illarum obligatio, quod, seclusa poena, nullo modo, aut saltem difficillime, cognosci possit. Multa enim sunt in jure canonico statuta & ordinata, quorum obligatio, quanta nunc est, non possit agnosci, si poena excommunicationis, quæ in illis contra transgressores apponitur, secluderetur. Per hanc regulam cognoscimus, leges Imperatorum, quæ aleatorum usum prohibent, obligare ad culpam mortalem eos, qui legibus imperialibus subduntur. Quoniam tam graves poenæ, quales contra aleatores jus imperiale decernit, l. 1. ff. de alea lusu, & in Aurent. Aleatorum usus, c. de religiosis & sumptibus funerum, non nisi pro culpa mortali juste possent inferri. Eodem modo cognoscimus in regno Castellæ obligare ad culpam mortalem eam legem, quæ prohibet taxillos vendere, aut cum illis ludere. Quoniam tales poenæ contra lutores taxillorum, & illorum venditores in illa lege statuuntur, quales non nisi pro culpa mortali, & quidem gravi, merito possunt infligi. Aliquæ etiam fuerunt olim leges divinæ per Moysen datæ, (Levit. 18. & 20.) quarum obligatio ad mortalem culpam non nisi ex poena in illis apposita possit agnosci. Omnes enim illæ leges, per quas in Levitico prohibuit Dominus matrimonia contrahi inter eos, qui aliquibus ceteris gradibus consanguinitatis aut affinitatis erant conjuncti, obligabant tunc ad culpam mortalem, quam obligationem nulla alia res æque manifestabat, sicut poena mortis contra transgressores in illis legibus apposita, quæ (ut notissimum est) non nisi pro gravi culpa mortali potest infligi. An autem in lege Evangelica, & tempore gratiæ, omnes illæ leges habeant eandem obligationem, quam ante habuerunt, non ita facile potest agnosci: propterea quod poenæ, quæ talibus legibus erant appositæ, nullam nunc habent vim, sed omnes sunt per mortem Christi revocate: quemadmodum cætera omnia judicialia præcepta, quæ erant in lege illa. At poenæ illis sublatæ ex natura ipsarum rerum, quæ per tales leges prohibentur, non potest convinci, ta-

Nam alias, si id non intendat, exigens aut reddens non peccat, etiam si præter intentionem illius nocentum proli eveniat. Quoniam quisque potest jure suo uti, quamvis inde damnum alteri sequatur, dummodo alterius damnum non velit, immo potius delectat quod non possit jure suo uti, quin damnum alteri inferat. In cujus rei probationem adduco simile ex leg. 2. ff. de aqua pluvia arcenda, ubi Paulus Jurisconsultus ex sententia Labeonis definit, vicinum si flumen vel torrentem averterit, ne aqua ad eum perveniat, & hoc modo sit effectum, quod vicino noceatur, non posse jure prohiberi, ne tale flumen à se avertat, dummodo non hoc animo fecerit, ut proli concipiendæ noceat, sed ne sibi noceat. Idem etiam dicendum est in muliere menstruata, quæ debitum exigit aut reddit, quod licite hoc facere potest, si non hoc animo facit, ut proli concipiendæ noceat, sed ne sibi noceat. Et multo justius hoc facere potest mulier menstruata, quam is qui flumen à se avertit. Quoniam qui flumen à se avertit, quamvis hoc non faciat animo nocendi, tamen vere noceat, & certum videt nocentum, & certum videt personam, cui tale inferit suo opere nocentum. At nihil horum contingit in muliere menstruata, debitorum exigente aut reddente. Quoniam (ut diximus) non est certum nocentum sequi ex coitu suo, nec certa est persona, immo (ut rectius dixerim) nulla est persona cui tale nocentum inferatur, quia nondum natus est ille cui tale nocentum timetur esse inferendum. Nocentum autem quod sibi inferre potest, si non exigit, aut marito si non reddit, potest esse ipsi menstruatae certum. Quia corporalem aut spiritualem infirmitatem, quæ est aduterium, potest illa verisimiliter timere in marito, si illi petenti debitum non reddit, & hoc ipsum potest timere in se ipsa, si non exigit. Nam (ut medici docent) aliquando corporalis infirmitas curatur per carnalem viri & mulieris coitum. Nullus autem merito dubitare potest, quin magis teneatur homo suo certo periculo providere, quam alterius incerto. Nulla certe est comparatio certi ad incertum, ac proinde nulla est comparatio hominis viventis ad prolem, cujus conceptio est incerta. Ratio autem naturalis docet, ut incerta pro certis dimitramus: & si omnia fuerint pariter certa aut incerta, plus nostro quam alieno periculo providendum. Ex quibus circumstantiis bene pensatis clare convincitur, mulierem menstruatae debitum exigentem aut reddentem, damnum nullum facere. Quod manifeste confirmatur per sententiam illam quæ habetur in leg. Nemo, ff. de regulis juris. Nemo damnum facit, nisi qui id facit quod facere jus non habet. Mulier autem menstruata jus habet exigendi & reddendi debitum: ergo hoc faciens, non est censenda damnum facere. Secundo, contra eandem opinionem sic argumentor. Si vir coiens cum uxore menstruata, peccat mortaliter: ergo uxor illi consentiens, etiam peccabit mortaliter, quod multi, qui partem tuerentur adversam, apertissime negant. Dicunt enim uxorem menstruata fluxu pollutam non peccare, quam viro petenti reddit conjugale debitum, præsertim si de viri incontinentia timeret, quamvis peccet vir quando ab eadem uxore conjugalem coitum exigit. Sed hæc illorum sententia vel ex eo falsa convincitur, quod uxor conjugale debitum reddens, viro suo apertissime consentit, & cooperatur illi ad actum illum: ergo etiam peccat perinde ac ille. Quia (ut Apostolus ait Rom. 1.) non solum qui talia agunt, sed etiam qui agentibus consentiunt, digni sunt morte. Et confirmatur hoc argumentum per eandem Leviticæ legem, quæ non solum virum accedentem ad uxorem menstruatae, sed ipsam etiam uxorem jubebat occidi. Hoc autem nequa-

quam lex fieri præcepisset, si uxor menstruata viro consentiens, magis esset à peccato libera, quam vir. Præterea, tertio & principaliter contra istorum Doctorum opinionem arguo: quia ex illorum sententia sequeretur, quod mulieri fluxum sanguinis continuum patienti, aut leprosa non esset licitum exigere, aut reddere debitum. Consequens est falsum, & ab illis omnibus negatum. Consequentiam autem probo ex ipsa ratione differentiae, quam illi assignant inter mulierem menstruatae & leprosam, aut continuum sanguinis fluxum patientem. Nam hæc infirmitates & ægritudines, videlicet lepra & continuus sanguinis fluxus, non sunt omnes profus incurabiles: ergo quamdiu aliqua spes salutis merito habetur, tenebitur mulier leprosa, aut quæ continuum sanguinis fluxum patitur, non exigere, nec reddere debitum. Quia sicut mulier menstruata (ut illi dicunt) propterea quod potest expectare tempus in quo sine nocentum proli concipiendæ coeat, tenetur in tempore menstrui abstinere; propter eandem rationem mulier leprosa, aut quæ sanguinis fluxum ex ægritudine patitur, tenebitur abstinere à coitu, quamdiu merito habet aliquam salutis spem: quia etiam hæc potest expectare tempus in quo sine ullo proli nocentum coire valeat. Deinde differentia illa, quam inter mulierem menstruatae, & leprosam, aut sanguinis fluxum perpetuo patientem, illi reddunt, aperte convincitur nullius esse valoris. Quia si causa, cur talis coitus cum muliere menstruata prohibetur, est nocentum proli: ergo quamdiu durat talis causa, durabit etiam talis prohibitio. Alioquin illa non esset sufficientis prohibitionis causa, si tali causa aliquando existente, talis prohibitio cessaret. Ex quibus aperte convincitur, ut coitus cum muliere menstruata, aut quæ perpetuum sanguinis fluxum patitur, sit perpetuo prohibitus: quoniam perpetuo adest illa prohibitionis causa, videlicet nocentum proli concipiendæ. Accedit ad hæc, quod præceptorum negativorum obligatio nullo tempore limitatur, quia talis conditio & naturæ ab omnibus esse censentur, ut semper & pro semper obligare dicantur. Si prohibetur coitus ex quo nocentum proli sequi præsumitur: ergo perpetuo prohibetur & semper durat illa prohibitio. Et inde sequeretur, ut coitus cum leprosa, aut quæ perpetuum sanguinis fluxum patitur, esset perpetuo prohibitus. Rarissimum, tertio principaliter, & (ut ego existimo) insolubili argumento contra eandem opinionem arguo, ex alia Leviticæ lege, quæ apertissime ostendit, talem coitum cum muliere menstruata, nec ex se, nec ratione proli concipiendæ esse peccatum. Nam in quinto decimo Leviticæ capite hæc habetur lex. *Si coierit cum muliere vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus: & omne stratum in quo dormierit, pollutur.* Hæc lex in faciem pugnare videtur cum alia Leviticæ lege, de qua nunc agimus, quæ habetur cap. 20. & præcipit penam mortis inferre mulieri menstruatae, & viro qui coit cum ea, cum tamen prior lex nihil aliud præcipiat, quam ut immundus sit septem diebus. Hanc faciem dissonantiam alii aliter tollere nituntur. Radulphus Flaviensis lib. 14. cap. 6. explanationem super Leviticum, credens apertam esse inter illas duas litteras contradictionem, dicit litteræ sensum esse rejiciendum, & solum spirituales esse necessario requirendum. Sed absit ut in lege Domini juxta litteram intellecta contradictionem esse dicamus. Nam etsi omnia, quæ in lege illa continebantur (ut Paulus ait 1. Cor. 10.) figuræ quædam erant eorum, quæ in lege Evangelica sperabantur, & spirituales aliquem prædebant sensum, non tamen juxta illum solum spirituales sensum, sed

juxta

juxta litteram tunc filiis Israel mandata fuerunt. Et inde consequens est, ut nullam in lege illa juxta litteram intellecta, contradictionem esse dicamus, ne in lege Dei aliquid impossibile præceptum esse fateamur: fortassis illi dicent, legem illam præcipientem occidere virum cum muliere menstruata coentem, esse intelligendam de illo solo, qui cum aliena uxore hanc turpitudinem fuit operatus. Verum hæc sententia facillime refellitur per hoc, quod ille, qui cum alterius uxore coisset, sive illa menstruata, sive absque menstruo fuisset, jubebatur occidi, ut patet in eodem Leviticæ capite. Superfluum igitur fuisset particularem legem condere, quæ eodem tempore menstrua juberet occidere, cum jam in eodem capite id fuisset per aliam universalem legem mandatum. Hugo Cardinalis illas duas Leviticæ leges, quæ velut ex diametro pugnare videntur, ad hunc modum conciliat, ut prima, quæ tantum præcipit separationem septem dierum intelligatur de illis qui ignoranter coierunt cum menstruata; alia vero posterior, quæ tales coentes jubet interfici, intelligatur de illis qui scientes menstruum, ex industria se miscuerunt. Hæc tamen sententia inde convincitur esse falsa, quod lex illa posterior, non solum jubet virum interfici, sed ipsam etiam mulierem menstruatae à viro cognitam. Mulier autem vix potest ignorare se esse menstruatae, licet vir hoc facile possit. Melius igitur Nicolaus de Lyra, quem in hac parte sequitur Abulensis, hæc faciem legum dissonantiam tollit, dicens, priorem Leviticæ legem esse intelligendam de illo cujus factum est occultum, & nunquam fuit de hac re in judicio convictus. Alteram vero posteriorem de illo intelligendam censet, qui sciens accessit ad mulierem menstruatae, & fuit de hac re in judicio accusatus & convictus. Et hanc Nicolai Lyrani sententiam probare videtur Paulus Burgensis, propterea quod illum in Additionibus suis de hac re non reprehendit. Nam si illi non placuisset, libenter illum de hac re reprehendisset, cum diligentissime Nicolai scripta explorasse videatur, ut inveniret quid in illo reprehenderet. Hæc igitur duarum illarum legum concordia data, operæpretium erit causam inquirere, quare is qui de coitu cum muliere menstruata est in judicio convictus, jubetur pena mortis puniri, ille vero qui occulte hoc fecit solum præcipitur, ut sit septem diebus immundus. Nam si sola prohibitionis causa fuit periculum proli concipiendæ, cum simile periculum imminet proli ex coitu occulto, sicut ex coitu parentum publico, sequeretur, ut etiam coitus illorum occultus esset peccatum mortale, perinde ac publicus. Præterea, si peccat mortaliter qui coit cum muliere menstruata, cur non jubetur occidi, aut alia graviore pena puniri, quamvis ejus coitus sit occultus? Deinde, si talis sic coiens noceat proli futuræ, cur in penam & testimonium talis nocentum non gravius punitur? Si dicas, quod quia erat secretum, & ipse non debebat se prodere ad mortem, saltem poterat illi alia major pena in secreto imponi ab ipsa lege, aut sacerdoti, cui sua manifestasset peccata præcipi poterat, quod aliquam graviorem penam imponeret, prout in aliis multis peccatis lex fieri jubebat. At cum nihil horum lex præcepit, sed eam solum viro imposuerit penam, quam mulieri menstrui patienti, quamvis ad virum non accessisset, imposuerat, ex ipsa ratione penæ convincitur talem viri coitum ex se non esse majus peccatum, quam sit mulierem pati menstruum, quod constat, non esse peccatum, præsertim mortale. Nam si peccatum aliquod erat exigere à muliere menstruata in occulto, illud ex ratione

penæ innuitur esse veniale: quia peccata mortalia multo gravius in illa lege puniebantur. Coitus autem cum muliere menstruata de quo quis in judicio fuisset convictus, pena mortis puniebatur, non propter solum coitum, sed propter caeremonias legis publice violatas, quæ ne venirent in contemptum, acerbè puniebantur. Publicum enim & secretum non variant genus, aut speciem peccati, ita ut quod secreta factum est, veniale, publice vero factum, sit mortale, nisi forte ratione scandali accepti, & non dati, quod aliquando propter ignorantes & infirmos omittendum est. Sed ex particulari circumstantia ignorantium, aut infirmorum, quæ ipsi operi publico accidit, non est sumenda generica, aut specifica operum differentia, ita ut secretum & publicum genere, aut specie differre dicantur. Et inde aperte convincitur, ut si secretus coitus cum muliere menstruata, non erat peccatum mortale, etiam coitus in judicio probatus non sit peccatum mortale. Ex his omnibus constat præceptum illud quo præcipiebatur morte puniri is qui de coitu cum muliere menstruata esset convictus, esse simul caeremoniale & judiciale. Quatenus præcipit septem diebus abstinere ab uxore, vel ex eo constat esse caeremoniale, quod non omnes mulieres per tot dies durant in menstruo, sed aliquæ per plures dies, & multæ per pauciores. Et quia illi dies non sunt ideo ad separationem limitati, quia tot diebus, & non pluribus, nec paucioribus menstrua durant, inde manifeste convincitur talem dierum limitationem esse ad solam caeremoniam referendam. Quatenus illud præceptum penam imponit, constat esse inter judicialia numerandum, & ex pena in illo imposta constat illud tunc obligasse ad culpam mortalem. Ex nulla tamen parte præceptum illud obligat nunc in lege Evangelica in qua per mortem Christi judicialia simul & caeremonialia omnia revocata sunt. Scio esse aliqua Sanctorum Doctorum verba, quibus dicunt esse ex jure divino non accedere ad menstruatae, & illud deberi nunc in lege Evangelica observari, sunt tamen illorum verba ad hunc sensum intelligenda, ut non dicant debitum obligationis, sed solum debitum honestatis & congruentiæ. Et hoc debitum saepe appellare solent jus divinum, non quidem tale quod peccati mortalis obligationem inducat, sed quod ad majus meritum hortetur. In cap. Omnis utriusque sexus, de Penit. & Remiss. habetur statutum quoddam, sive decretum ad instar legis poenalis mixtæ, quod juxta omnium Theologorum & Canonistarum sententiam obligat ad culpam mortalem. Hæc autem tanta obligatio non aliunde convinci potest, quam ex pena quæ per tale decretum imponitur, quæ tanta est, ut non nisi pro culpa mortali merito potuisset imponi. Nam si penam illam secludere velimus, & sola verba inspiciamus, quibus decretum illud utitur, quum confessionem quotannis faciendam statuit, nullo modo probare poterimus decretum illud obligare ad culpam mortalem. Quoniam nullum est in illo decreto verbum præcepti, aut æquipollentis præcepto, sed solum ponitur verbum imperativum, quod nunquam se solo (ut alias diximus) ostendit obligationem ad culpam mortalem. Ostendimus per multa exempla ex lege divina & humana, quomodo obligatio legis poenalis mixtæ ad culpam cognosci possit ex pena quæ per illam imponitur, superest ut per alia exempla ostendamus quomodo obligatio etiam legis poenalis mixtæ cognoscatur, nullo habito respectu ad penam, sed solum ex verbis quibus illa utitur, statuens id quod ad mores spectat. Primum ex

liii

ju-

jure communi, præsertim canonico, deinde ex jure Regni Castellæ aliqua proponam exempla, ut ex illis discat lector quomodo cujuslibet legis poenalis mixtæ obligationem cognoscere possit. Lex quæ ponitur in capitulo Missas, de Consecratione, dist. 1. est lex poenalis mixta, ut ex litteræ decursu constat, & talis lex obligat ad culpam mortalem. Quia etsi ex poena quæ illic statuitur, hoc non possit cognosci, convincitur tamen per hoc quod ante impositionem poenæ utitur verbo præcepti, sic dicens: Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus. In cap. Fœlicis, de Torneamentis, lex poenalis mixta continetur, quæ etsi nullam poenam imponeret, vel ex hoc convincitur obligare ad culpam mortalem, quod utitur hoc verb. prohibemus. Et idem contingit in cap. unico, de Sagittariis. In cap. Romana. §. Procuratores, de Censibus, libro sexto, lex continetur poenalis mixta, quæ sine ullo respectu ad poenam impostam, aperte offendit de obligare ad culpam mortalem, quia in §. Hanc autem, ponit hoc verbum, præcipimus, quod (ut manifeste constat) refertur ad omnia in illo capitulo contenta. Et certe hæc exempla sufficiunt cuilibet bene consideranti, nec opus esset plura addere, quia de reliquis omnibus, si ad ista conferantur, facile quisque judicare poterit. Sed quia aliquæ sunt leges de jure Regni Castellæ, circa quarum obligationem multi hæcenus erraverunt, & aliis occasione erroris dederunt; ideo de una & altera illarum impræsentiarum, specialiter tractare decrevi, ut aperte quorundam errorem convincam, & sic viam præcludam aliis, ne ad similem errorem ducantur.

Inter multas quæ in Regno Castellæ ad bonam illius conservationem & utilitatem conditæ sunt leges, una est quæ prohibet, ut nullo modo, sine expressa Regis licentia, equi ab ipso Regno ad aliud Regnum transferantur, sive hoc per venditionem & emptionem, aut per commutationem, aut per liberalem donationem, aut alio quovis modo fiat. Si quis autem contrarium fecerit, illi poenam imponit lex, ut privetur illo equo, & medietate omnium bonorum suorum, & tandem interficiatur. Hæc lex habetur in lib. 6. Regalium ordinationum, tit. 9. leg. 10. Hæc tamen lege non obstante, multi sunt qui equos à Regno clam educere non formidant. Nec desunt qui illos à culpa excusant, dicentes, legem illam propterea quia poenalis est, non obligare ad culpam. Quia lex poenalis (ut dicunt) non obligat antequam condemnetur. Quæ sententia dupliciter errat apertissime, & in eo quod asserit, & in eo quod ad illius probationem assumit. Primo quidem sententia illa duplici ratione convincitur esse falsa, videlicet ratione poenæ quam imponit, & ratione verborum quibus in prohibitione utitur. Poena illa imponitur (ut evidentissime constat) tanta est, ut non nisi pro gravi culpa mortali merito potuisset imponi. Verba quibus lex utitur, sunt manifesta verba prohibitionis, quæ (ut superius diximus) semper indicant culpam mortalem. Nam verba legis sunt quæ loquuntur: Non possint vendere, aut commutare, ut testamento legare, aut alio quovis modo homini à Regno extraneo equum donare. Quam dicit: Non possint; non de potentia virium naturalium, sed de juris potentia intelligendum est, prout dicitur in cap. Faciat, junctâ glossa 22. q. 2. Hoc possumus quod jure possumus. Quamvis igitur nulla esset in tali lege poena imposta, ex solis tamen ipsius legis verbis facile cognoscitur legem illam obligare ad culpam mortalem. Quod autem objiciunt commune proverbium, legem poenalem non obligare ante condemnationem, quam-

vis hoc semper verum esset, de quo in sequenti libro disputabimus, de ipsa poena intelligendum esset, & non de illo propter quod imponitur poena. Fateor quidem legem illam non obligare transgressorem (prout in sequenti lib. dicemus) ad reddendum equum & suorum bonorum medietatem, antequam à iudice de hoc sit damnatus: sed factis est, ut ad hoc teneatur postquam à iudice de illa re fuerit condemnatus. Verum etsi ad poenam non teneatur ante condemnationem, tenetur tamen ad id, propter cuius observationem imponitur poena, quod est non educere equum à Regno. Aliud siquidem est poena, & aliud est (ut diximus) id propter quod imponitur ipsa poena. Ad poenam non obligat lex illa, nisi post condemnationem, ad aliud vero semper quamdiu lex illa duraverit.

Alia fuit olim lex in eodem Regno Castellæ ad tempus limitatum, propter tunc occurrentem necessitatem condita, de cuius obligatione non omnes pariter senserunt. Et ideo illius causam & conditionem impræsentiarum referre decrevi, ut inde clarius constare possit quanta fuerit illius obligatio. Anno Domini 39. supra 1500. fuit in Hispania, præsertim in Regno Castellæ, magna terræ sterilitas propter aquæ defectum, & timebatur major ventura anno sequenti, propterea quod eo tempore quo consueverat esse seminare frumentum & ordeum, pluvia defecerat, quia non tanta quantitas erat necessaria, sed rarissima de caelo descenderat. Et idem in sequenti tempore pro anno 40. futurum timebatur. Quod si juxta id quod timebatur successisset, prout revera successit, non dubitabatur maximam in eodem Regno futuram sterilitatem, & per consequens acerbissimam famem. Ob hanc causam Carolus Hispaniarum Rex, hujus nominis primus, idemque Imperator ejusdem nominis quintus, omnibus præsertim pauperibus consulere volens, hujusmodi occurrenti necessitati per legem datam tempessive providit. Statuit siquidem certum aliquod, & moderatum pretium tritico, & aliud minus isto pro ordeo. Mandavit insuper ut nullus ultra pretium per talem legem taxatum venderet: & eum qui ultra tale pretium vendidisset, poena aliqua ibidem expressa puniri jussit. Post datam hujusmodi legem successit annus qualis timebatur, & multi avaritia ducti, contra legis prohibitionem ultra pretium taxatum fragmenta clam & latenter vendiderunt. Ex quibus aliqui ad cor redeunt, & aliquam suæ conscientiæ rationem habentes consuluerunt de hac re viros doctos, an sic ultra pretium taxatum vendentes, peccaverint, & an tenerentur ad restitutionem illius quod ultra tale pretium acceperunt. Scio aliquos fuisse, qui rem non bene advertentes, dixerunt tales non peccasse, nec teneri ad restitutionem illius quod ultra acceperunt, quia cum lex illa poenalis fuisset, per hoc quod se committebant periculo poenæ, per legem impostæ, dicebant illis liberari à culpa. Ego tamen semper contrarium tenui, & nunc etiam teneo sententiam, & semper his qui me de hac re consuluerunt, respondi, illos non posse à suis peccatis absolvi, nisi talem pretii excessum his à quibus receperant, restituerent. Nam quod illi sic facientes peccaverint, ex verbis ipsius legis, etiam si nullus habeatur respectus ad poenam, facile convinci potest. Quoniam lex illa, sive pragmatice utitur apertis verbis præcepti & prohibitionis, quæ (ut sæpe jam diximus) semper indicant obligationem ad culpam mortalem. Præterea, illi qui contra legem illam fragmenta vendiderunt, aperte fecerunt contra legem divinam quæ prohibet furtum fieri: ergo peccaverunt mortaliter, & tenentur ad rei furtivæ restitutionem. Consequens est ma-

nifesta, per illud quod dicitur de Regulis juris, libro sexto. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. Antecedens vero ex quo tota vis argumenti pendet, probatur hac evidenti ratione. Omnis injustitia & inæqualitas quæ committitur in emptione & venditione, aut rerum permutatione, est prohibita per legem divinam, & non per aliam, quam per illam quæ facta prohibet: in tali autem venditione frumenti ultra pretium taxatum, committitur injustitia, & sit inæqualitas: ergo talis venditio ultra pretium taxatum est contra legem illam divinam qua facta prohibetur: in hujus argumenti confirmationem est, quod Paulus, optimus divinæ legis interpres, Thessalonicensibus scribens, & illis Dei voluntatem aperiens, inter alia dicit: *Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.* Quæ verba interpretans Anselmus in Commentariis super epistolam Pauli, ait: Supergressio enim est, ubi pro minore pretio illud quod majoris pretii est, elicitur. Circumventio autem, ubi per dolam fratrem in ipsa venditione, vel emptione decipiunt. Hæc ille. Sicut ergo juxta Anselmum, ille supergreditur in negotio fratrem, qui pro minori emit quod majori est pretii: ita etiam è contrario ille supergreditur in negotio fratrem, qui pro majori vendit quod minoris est pretii. Et utrumque Paulus dicit esse contra Dei voluntatem, quia Dei voluntatem dixit esse ut talia non fiant, & postea subdit Deum de his omnibus esse vindicaturum. Ex quibus aperte convincitur illos, qui ultra pretium per pragmaticam taxatum fragmenta vendiderunt, legem divinam præterisse, quia supergressi sunt in negotio fratrem suum. Et inde ulterius sequitur illos mortaliter peccasse, & teneri ad restitutionem, quamvis se exposuerint periculo poenæ per legem statutæ. Quia (ut jam supra probavimus) lex poenalis nunquam tollit obligationem culpæ quæ est per legem divinam, sed per solam legem humanam facta. Sed hæc responsio nullius proflus esse valoris, vel ex eo aperte convincitur, quod aliud est pretia rebus imponere, & longe aliud est prohibere, ne ultra pretium signatum res vendatur. Impositio pretii est ex lege humana: sed hæc pretii impositione facta, statim lege divina prohibetur, ne quis supergrediatur in negotio fratrem suum, hoc est, ne majori pretio res vendat, quam ipsæ valeant. Si lex humana postquam declarat æquale & justum rei pretium, præcipit, ut nullus ultra tale pretium rem vendere præsumat, non inducit novam obligationem, sed declarat eam quæ lege divina est imposta post talem pretii taxationem. Aliqua enim sunt lege divina statuta, quæ non obligant ad culpam, nisi præsupposita alia lege humana. Nam lex quæ prohibet furtum, nunquam obligabit in captione alicujus rei particularis, nisi supposita rerum divisione, & particulari illarum dominio, quoniam particulari rerum dominio sublatum, nunquam furtum committeretur. Talis autem rerum divisio non est ex lege naturæ, aut divina, sed solo jure humano introducta, prout docet Augustinus super Joannem, & citatur à Gratiano, in capite Quo jure, dist. 8. Lex divina quæ prohibet opera servilia in sabbato facere, nunquam obligabit ad culpam in aliquo die particulari, nisi prius lege humana, quis dies sit pro sabbato habendus, statuat. Postquam tamen lex humana statuit diem Dominicum esse pro sabbato habendum, statim

lex divina præcipit, ut omnes illo die ab operibus servilibus abstineant. Idem proflus contingit in casu de quo impræsentiarum disputamus. Lex humana pretium rebus imponit, hoc autem pretio per legem humanam taxato, statim lex divina prohibet, ne aliquis ultra tale pretium rem ipsam vendat. Ex quo aperte deducitur, non solum laicos, sed etiam Ecclesiasticos viros peccasse, & postea teneri ad restitutionem excessus, si frumentum aliquod ultra pretium per dictam pragmaticam taxatum vendiderunt. Quia etsi viri Ecclesiastici non subdantur legibus Imperatorum, aut Regum, aut cujusvis alterius laicæ potestatis: subduntur tamen legi naturali & divinæ. Lex autem naturalis & divina prohibet, ut nullus ultra justum pretium rem aliquam vendat. Illud autem censendum est justum pretium quod fuerit per publicam potestatem taxatum: ergo illa taxatione per legem humanam facta, tenebuntur viri Ecclesiastici perinde ac laici, ad non vendendum ultra illud pretium. Quod autem Princeps possit legem statuere, per quam pretia rerum, præsertim necessariorum, taxentur, probatur manifeste per id quod habetur in l. 1. §. Cura carnis, ff. de Officio præfecti Urbis, ubi Ulpianus Juriconsultus, ait: Cura carnis omnis, ut justo pretio præbeatur, ad curam perfecturæ pertinet. Et in l. Annonam, ff. de Extraordinariis criminibus, mandatur Præsidibus Provinciæ, ut diligentiam adhibeant, ne annona oneretur, hoc est, cariori quam oporteat pretio vendatur. Et in constitutionibus Salmanticensis Universitatis aditis per Martinum Papam, hujus nominis quintum, constitutio vicissimaquinta est, ut domorum in quibus studentes habitant, pretium locationis taxetur per aliquos ex civitate & studii Universitate ad hanc rem deputandos. Et nullus sine poena excommunicationis ipso facto incurrenda potest alicui studentis domum locare, nisi hac conditione, ut pretium locationis per deputatos taxetur. Præterea, quod rerum victui necessariorum pretia possint per publicam potestatem taxari, & si lege non definitur, ex naturali potestatis ratione convinci. Nam Regi circa Regnum suum, & Præsidi provinciæ circa provinciam, & Præfecto Urbis circa Urbem sibi commissam, incumbit ea providere & ordinare, quæ ad utilitatem populi sibi commissi pertinent. Inter illa autem quæ utilia esse reipublicæ cognoscuntur, unum & non minimum est, ut fragmenta bono pretio & moderato habeantur. Alioquin si omnibus permissum esset eo quod vellent pretio, quamvis charissimo fragmenta vendere, aperta per hoc daretur licentia divitibus, ut tempore sterilitatis pauperum substantias devorarent. Quoniam tam magno pretio fragmenta vendere possent, ut numerosa plebis multitudo illi reddendo non sufficeret, & sic necesse esset illam fame perire, aut pro frumento emendo totam suam suppellectilem reddere. Ob hanc enim causam in l. unica, C. de Monopoliis, prohibentur monopolia, præsertim rerum ad victum humanum necessariorum fieri, ne hac occasione ipsæ res carissimi pretio vendi contingant. Præterea, non minorem potestatem habet Rex, aut Præses provinciæ, aut quævis alia publica potestas ad taxandum pretium frumenti, aut cujusvis alterius rei, quam communis populi consuetudo; sed communis populi consuetudo est quæ pretium rebus imponit, ita ut sine nova justa causa superveniente nulli cum securitate conscientiæ liceat ultra communis consuetudinis pretium, rem aliquam vendere: ergo Rex, aut quævis publica potestas habet etiam auctoritatem ad imponendum pretium rebus ultra quod nemini res ipsas vendere licet. Si quis forte objiciat quod frumenti & aliarum

ram venditores læduntur per talem pretii taxationem, huic ergo respondeo negando quod illi lædantur, nisi forte hac ratione illos lædi dicas, quia non lucrantur quantum possent lucrari, si non fuissent illis pretia taxata. Hoc tamen revera non est lædi, quia per talem taxationem non auferitur ab eo quod jure suum erat, sed imponitur frænum nimie illorum avaritiæ, ut non quodcumque optant, accipere possint. Præterea, contra hanc sententiam quidam arguunt, quia quilibet in rebus suis est moderator & arbiter, ut dicitur in l. In re mandata, C. Mandati. Ex qua sententia sequi videtur, ut nullus in rebus alienis, sed quilibet in suis possit pretium imponere. Respondeo, illa legis sententia tunc vera est, quando non est per legem, aut superiorum impeditus: tunc enim quilibet est in re sua moderator, & arbiter. Si tamen per legem, aut per superiorum quis est impeditus, etiam si res sit sua, non poterit in ea esse moderator & arbiter. Nam ob hanc causam minor 25. annis non potest vendere, aut donare rem aliquam, quamvis sit sua, quia ne hoc faciat, est per legem prohibitus, ut habetur in l. Pupillus, ff. de Acquirendo rerum dominio. Eadem ratione uxor sine licentia mariti, nec vendere potest, nec donare rem aliquam, quamvis sit sua, quia lex hoc illi interdicit, ut patet in capitulo Quod Deo 33. quæstione quinta. Respondeo iterum secundo ad argumentum, quod & si gratis concedamus universaliter verum esse, quemlibet in re sua esse moderatorem & arbitrum, non tamen inde sequeretur, ut necessitate populi urgente publica potestas non possit pretia rerum taxare. Quia tali vera necessitate urgente majus dominium habet populus, aut qui illius vices gerit ad faciendum de re qualibet particulari id per quod succurri potest populi necessitati, quam ipsemet homo qui rem illam possidet. Nam ob hanc causam, quam populi necessitas urget, potest quilibet ex populo compelli, ut rem quam populus eget, etiam invitus vendat, ut dicitur in l. Annonam, ff. de Extraordinariis criminibus. Hac tamen necessitate seclusa, nullus potest ad vendendum compelli, prout habetur in l. Dubium, C. de Contrahenda emptione. Ratio enim naturalis docet plus communitatis populi, quam particularis hominis, necessitati esse consulendum. Nam in corpore humano, ad cuius imitationem (ut Paulus docet Rom. 12.) quilibet respublica est instituta, quodlibet particulare membrum se committit quamlibet magno periculo propter totius corporis conservationem. Tertio adhuc responderi potest, id quod dicitur, quemlibet esse in rebus suis moderatorem & arbitrum, intelligendum esse si id quisque intra justitiæ metas faciat. Nam si justitiæ metas rem suam moderando, aut arbitrando excesserit, tunc lex illi non concedit, ut isto modo in rebus suis sit moderator & arbiter. Alioquin si

FINIS LIBRI PRIMIDE POTESTATE LEGIS POENALIS.

preii justitia ex sola vendentis voluntate penderet, sequeretur inde, ut in nulla re vendibili sit pretii justitia certa. Quoniam maxima justitiæ latitudine data, ultra illam poterit quisque si voluerit, rem suam vendere. Sequeretur etiam ut nullus, quamvis carissime vendat, excedat in venditione medietatem justii pretii, quia illud dicitur esse justum, si ex sola domini vendentis voluntate penderet justitia pretii. Non potest ergo quisque in rebus esse moderator & arbiter, nisi illas moderetur intra justitiæ latitudinem. At quum lex pretium rei taxat, nulla est ibi justitiæ latitudo, sed est punctualis & indivisibilis justitia, illa scilicet quæ est per legem taxata, ultra quam nemini progredi licet.

Ut igitur ea quæ tam late dixi ad compendium reducam, dico legem illam, sive pragmaticam quæ frumentorum pretia taxavit, obligasse transgressores ad culpam mortalem, non obstante pœna per legem imposita. Quia lex illa non fuit pure pœnalis, sed mixta: & ideo etiam si nullus ad pœnam habeatur respectus, potest illius obligatio cognosci ex verbis quibus utitur, quum de pretio frumentorum statuit. Verba autem illa (ut diximus) apertum declarant præceptum & manifestam prohibitionem, ex quibus evidenter cognoscitur legem illam obligasse ad culpam mortalem. Et inde ultra sequitur, ut quamvis pœna legis illius fuerit alicui transgressori inflata, ipse transgressor teneatur nihilominus ad restitutionem illius quod ultra justum pretium accepit. Quia restitutio pretii superabundantis est necessario facienda ex lege divina, quæ præcipit omne injuste ablatum restituere: ergo per passionem pœnæ (ut proxime præcedenti capitulo probavimus) non poterit aliquis à tali restitutione facienda liberari. Nam talis pœna non imponitur per legem ad recompensationem damni quod venditor intulit emptori, sed solum ponitur ad recompensationem injuriæ quam intulit legislatori, illius legem transgrediendo. Et inde aperte convincitur, ut facta satisfactione injuriæ legislatoris per pœnam toleratam, teneatur nihilominus legis transgressor ad recompensationem damni, quod intulit emptori, quando illi frumentum vendidit ultra pretium per legem taxatum.

Multas alias leges pœnales mixtas possem impræsentiarum citare, ut de illarum obligatione discererem, sed ne plus justo prolixiorum facerem tractatum, consulo omittere decrevi, satis esse existimans quod generalia documenta dederim, per quæ si bene advertantur, facile quisque de qualibet lege pœnali mixta, censere poterit, quanta sit illius obligatio. Ne tamen ex defectu exemplorum ipsa documenta manerent obscura, placuit aliquas in medium proponere leges, de quibus videbam majorem esse inter viros doctos quæstionem, & quæ majus nocumentum, si illarum obligatio non agnosceretur, inferre possent.

E.

F. ALFONSI A CASTRO
ZAMOREN. ORDINIS MINORUM,
DE POTESTATE LEGIS POENALIS.
LIBER SECUNDUS.
P R A E F A T I O.



ACTENUS de illa sola legis, quam pœnalem vocant, potestate, quæ circa id quod potissimum per illam statuitur, versatur, Libro primo disserui, probans manifestis, nisi mea me fallit opinio, argumentis pœnam, quæ ad meliorem legis observationem ab ipsa lege statuitur, nihil obflare, quin lex eadem sub reatu culpæ mortalis obliget ad id quod primo statuerat. Nunc superest, ut in hoc secundo Libro alteram ejusdem legis potestatem, quæ solam respicit obligationem ad pœnam, ab hostium oppugnatione & oppressione vindicem, & in libertatem asseram. Pro qua re multo plures me exanclare labores, multoque majores exercere vires oportebit. Quoniam hujus potestatis tutelam tanto majus mihi facefere negotium prospicio, quanto illam magis oppressam jacere, & à plurimis fortissimis viris coerceri & reprimi video, ne in suum statum exurgat, & sic suas vires omnibus paleam facere possit. Sunt enim aliqui, & hi non pauci neque parum potentes, qui legis pœnalis potestatem usque adeo enervare nituntur, ut non vereantur passim proclamare, illam, nisi Judicis sententia, quæ illi suffragetur, præcedat, numquam posse reum aliquem facere pœnæ obnoxium & addictum. Credo tamen eos, qui ita sentiunt, fuisse à nimia hujus sententiæ lenitate & mansuetudine persuasos, ut illi faverent. Nam hæc illorum sententia nimium placida est & suavis, quæ sua vocis dulcedine, velut quædam frenâ blanditur animis audientium, cujus dulcedinis blandimento tam multos doctores Theologos perinde ac Jurisperitos pellexit, ut sola patronorum multitudinem vincere putet. At, contraria sententia, pro qua ego sum pugnare paratus, suo acri rigore exasperat lectores pariter & auditores, quæ sola ratione moti multi illam execrantur & horrent. Et certe (ut ingenue loquar) ego etiam abhorreo tantam legum pœnalem multitudinem, quæ sæpe nihil aliud efficit, nisi hominum conscientias illaqueare & irritare. Ob quam causam ego frequenter opto, ut à multis hujusmodi legibus, sola pœnæ comminatione retenta, obligatio ad culpam tolleretur. Sed quum jam illæ semel latæ sunt, ego aliud de illis sentire non possum, nisi quod illæ verbis suis prædicant & ostendant. Et quia apertissimam video esse hanc multarum pœnalarum legum potestatem, ideo non dubitavi in arenam descendere, ut pro illa contra omnes illius hostes, quamlibet multos & fortes pugnem. Non est enim æqua omnium legum pœnalis conditio, nec per consequens æqua omnium illarum potestas, sed pro varietate legum varia etiam censenda est illarum potentia. Et hinc est quod non poterit una de omnibus dari definitio, sed juxta id quod cuique illarum pro sui generis conditione convenit, de illis dicere oportebit. Sed ante omnia, id quod à principio operis feceram, lectorem exoro, ut si hujus disputationis Judex esse velit, omnem prius à se propellat humanum affectum, quatenus rectius possit de his quæ dixero, censere. Nam sicut is, cui in auribus est aer, nisi sit tranquillus, & minime sonans, sed cinnitu fuerit ac tumultu plenus, non exacte percipit ea, quæ dicuntur: ita si quid humani affectus obtrepat, aut sibilat intrus in mente Judicis, nequaquam recte judicabit de his quæ legerit, aut audierit. Lectorem igitur, quem solum hujus disputationis Judicem futurum agnosco, per Christum exoro, ut non accedat contentiosus, aut ita affectus, ut sit paratus, quidquid contrarium legerit, rejicere: sed eo animo legat, ut paratus sit veritatem, quum illi fuerit aperte ostensa, & sufficienti ratione comprobata, utraque ulna amplecti. Si vero ab his, qui mecum velut ex diametro pugnant, sic persuasus accesserit, ut illis favere obstinato animo decreverit, ego illum hujus disputationis Judicem esse non patiar, sed protinus tamquam aperte suspectum recusabo: & illius censuræ fateor me non esse obedire paratum, cujus tamen judicium, si mihi se liberum ab omni suspitione præberet, subire non formidarem.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo cognosci potest legem aliquam pœnalem non sententiam latam, sed solam sententiam ferendam continere.



DUPLICEM esse pœnalem legem, alteram quæ sententiam à Judice ferendam, & alteram quæ sententiam ab ipsa lege latam continet, omnes viri docti, qui de hac re differunt, aperte fatentur, & ex ipsa verborum varietate, quibus leges ad pœnæ inflictionem uti solent, evidenter convincitur. Lex tunc dicitur continere sententiam à se latam, quando ipsamet lex profert sententiam contra delinquentem, nullo pacto relinquentis. Judici aliquid, quod ad condemnationem delinquentis spectat.

Tom. II.

Kkkk

mati